Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-289230-p0001-4

71
Bd 81

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-289230-p0002-9

79

MONVMENTVM AMORIS

VIRO
CLARISSIMO, ATQVE DOCTISSIMO,
DOMINO
MICH. PFEIFFERO,
CAESAREOPOLIT. HVNGARO,
DVM
SVMMOS IN ARTE MEDICA
HONORES,
ANNO MDCCXLV. CAL. MAII
MORE MAIORVM LEGITIME CAPESSERET,
MENTE LAETA,
ANIMO SINCERO,
POSITVM.

IENAE, EX OFFICINA IO. FRIDERIC. SCHILLII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-289230-p0003-5

Artibus eximiis animum ſacrare volentes,
His ſolet adnexus pellere ſaepe labor.
Pulchrae ſunt artes, vno omnes ore fatentur,
Pulchrius ingenuis artibus eſſe nihil.
Difficile eſt verum, quod pulchri nomine fulget,
Et recte ſapiens ardua pulchra vocat.
Mens excelſa tamen contendit ad ardua ſemper,
Haec ſibi cum primis conficienda putat.

Eſt pulchrum ſtudium medicinae, ſed quia pulchrum:
Certe difficilem debet habere modum.
Et quia fert magnam mortalibus vtilitatem:
Excellens omnes atque ſalubre vocant.
Nomine tam auguſto celebratur dum medicina,
Hoc ſtudium conſtans nomen habere cupit.
Experientia ſit iuncta vt ſemper rationi,
Vt medicus cunctis vtilis eſſe queat.

TE PFEIFFERE labor non deturbauit ab arte,
Ad quam natura factus et altus eras.
Eſt ea difficilis, nam pulchra eſt, atque laborum
Plena, ſed adſiduus vicit id omne labor.
Ex oculis PFEIFFERE TVIS medicina ſoporem
Saepius excutiens, otia nulla dedit.

Vmbra ſuum corpus ſectatur ſole nitente:
Debent ſic ſtudium praemia digna ſequi.
Nunc PFEIFFERE TVAS curas comitantur honores,
Quos medici ſummos iure vocare ſolent.
Iam dulces fructus nunc carpere perge laboris,
Quorum primitias colligis ecce Ienae.
Gratulor, et veteris dono TIBI pignus amoris,
Iſti verſiculi pignus amoris erunt.
Vt Deus omnigena cumulet TE proſperitate,
Hoc TIBI ſincero pectore corde precor.
Te patriae ſaluum, patriam ſaluam TIBI reddat,
Det TVVS aduentus gaudia mille TVIS.
Omnibus in coeptis, conatibus atque, ſecunda
Sit fortuna TIBI conſociata comes.

Veteri amico, popularique ſuo, memoriam ſui
commendaturus, poſuit

Steph. I. de Szirma.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-289230-p0005-6

I unčta virtuti ſolidae, ſalubris
Ars, beat mentem, ſibi ſemper ipſa
Sufficit, nunquam nimium caducos
optat honores.

Haec duo, ſi quis potuit ligare
Vinculo forti, cumulauit idem
Gaudium menti, ſine quo beatus
nullus habetur.

Contigit virtus TIBI care amice,
Clara, quae menti medicina fiet.
Contigit corpus valeas vt aeque,
arte mederi.

Perſpicis longe ſtudium patere
Iſtud, at nunquam ſemel inchoatum
Deſeris. Dignum eſt ſapiente coepta
continuare.

Sic TIBI praeſtas iter expeditum
Ad bonum ſummum, proprio labore.
Perge natura duce diligenter
tramite coepto.

Quos capis felix capias honores,
Non quidem magno ſtudio cupitos;
Debitos verum TIBI pro labore
rite peracto.

Viue iam felix, patriamque dulcem
Saluus attingas, in ea ſecundis
Rebus vtaris, potiaris omni
proſperitate.

Haec pauca, amico ſuo integerrimo ſincerum declaraturus animum, adiecit

Ioh. Ribiny. Hung.

Ung VI 4

(x 2743293)

ULB Halle 3
006 310 079

W 17
W 18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-289230-p0007-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-289230-p0008-3

MONVMENTVM AMORIS

VIRO
CLARISSIMO, ATQVE DOCTISSIMO,

DOMINO
MICH. PFEIFFERO,

CAESAREOPOLIT. HVNGARO,

DVM

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES,

ANNO MDCCXLV. CAL. MAII

MORE MAIORVM LEGITIME CAPESSERET,

MENTE LAETA,

ANIMO SINCERO,

POSITVM.

IENAE, EX OFFICINA IO. FRIDERIC. SCHILLII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-289230-p0009-2